



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

4. An Inquisitores Hispaniarum possint exercere aliqua, non solum quia
ipsis competit ex iure, sed etiam propter consuetudinem? Ex part. 4. tract.
8. resolut. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. III.

An Jurisdictio Inquisitorum concessa sit cumulativè, aut privativè?

Et notatur ex consuetudine in Hispania de hæresi solos Inquisitores cognoscere, & ut Episcopi per se, vel per Vicarium Inquisitoribus assistant; & ut non possint Episcopi separatim ab Inquisitoribus de causis hæreticis cognoscere, & aliqua alia circa hoc explanantur.

Etiāque notatur jurisdictionem Inquisitorum Hispania in ordine ad eorum Ministros esse etiam privativam. Ex p.4. tr.8. Ref.1.

Sup. contēto in hoc & seq. §. sup. in tr. 9. Ref.96. §. Probatur, & seq.

§.1. Jurisdictionem Inquisitorum non præjudicare Jurisdictioni Episcoporum, cum censetur concessa cumulativè, non autem privativè, docet Sylvester ver. hæreticus, §.2. num.10. Rojas singul.28. num.2. Gundisalvus de hæret. quest.7. num.9. Simanca de cathol. instit. tit.25. num.4. & alij penes Farinacium tr. de hæresi q.186. n.38.

2. Sed consuetudine in Inquisitione Hispanica introductum esse notat Sanctarellus tract. de hæresi c.40. dub.2. num.15. ut de hæresi soli Inquisitores cognoscant, & ut Episcopi per se, vel per Vicarios Inquisitoribus assistant, & ut non possint Episcopi separatim ab Inquisitoribus de causis hæreticis cognoscere, & ut denunciations sibi factas teneantur ad ipsos Inquisitores remittere; & est usu receptum ut soli Inquisitores processum forment, atque ipsi soli procedant, & ut rei Inquisitorum jussu comprehendantur, in solidumque Inquisitorum carcere custodiantur, & addit literas Apostolicas esse in Hispaniis, quibus præcipitur ut hæc Episcopi, & alij Ordinarii Inquisitoribus relinquunt, neque in eis se intromittant. Si verò Ordinarii reperiant, efficere debent illis de rebus summariam informationem, eamque ad Inquisitores debent transmittere. Item expedit delinquentem comprehendere ne fugiat, comprehendere autem possunt illum Ordinarii, & transmittere ad Inquisitores, aut illos certiorare facere, ut illum ad suum carcerem adducant. Ita Sanctarellus, & ante illum Molina de justit. tract.5. disp.28. num.12. & 13. Acugna tract. de Confessor. sollicitant. quest.2. num.1. Ioann. Valerius in different. utr. fori ver. hæresis, diff.3. num.1. & novissimè Barbosa in collect. tom.3. lib.4. tit.2. cap.17. numero 3. Soula in Aphorism. Inquisit. libro 1. capite 2. num.11. Pegha in director. part.3. quest.52. comment. 101. & penes ipsos. Vide etiam Riccium part.3. decis.279. numero 1. & Bobadillam in politic. tom.1. lib.2. cap.17. numero 72.

3. Notandum est etiam hinc obiter, jurisdictionem nostrorum Inquisitorum Hispaniæ in ordine ad eorum ministros esse etiam privativam, & ita tenet Portocarrero in allegat. de jurisdict. Inquisit. n.49. ubi sic ait: [La jurisdiccion que los Inquisidores tienen en sus ministros es privativa, non obstante que sea concedida à cierto officio, porque à esta concession procedio la exempcion Apostolica que esta aprobada y mandada guardar por las cartas de sus Magestades, y oßervada inviolablemente, y no puede darse acumulacion donde ay exempcion, loqual no solamente escluye la prevencion de los Ordinarios seglares, si no tambien de los Ecclesiasticos y con mayor razon siendo como es la exempcion generalmente Apostolica, que respeto de los Ecclesiasticos no recibe duda, ni disputa.] Hæc illæ, quæ sunt valde notanda, quia liber ille non est passim obivus.

RESOL. IV.

An Inquisitores Hispaniarum possint exercere aliqua non solum quia ipsi competit ex jure, sed etiam propter consuetudinem? Ex p.4. tr.8. Ref.3.

§.1. Ex decisione hujus questionis remanebit satis ampla adversus adversarios jurisdictionis DD. Inquisitorum, & ideo affirmativam sententiam teneo, quam in primis docet Molina de justit. tom.3. tract.5. disp.28. num.14. ubi sic ait. Neque jam nunc Ordinarii audirentur si aliud vellent, consuetudine in his Regibus tribuente jurisdictionem Tribunali Inquisitionis circa hæc & circa alia rationalissima usu, consuetudineque recepta. Sic ille, & post illum Dionysius Portocarrero in alleg. pro jurisdict. Inquisit. n.24. & seq. qui fusi & solide hanc sententiam probat & tenet, & rationem adducit, quia sicut jurisdictionis privilegio queri potest, ita & consuetudine, consuetudo enim, dat jurisdictionem, & præter Doctores quos ipse citat, docet hoc etiam Pativus conf.25. n.36. lib.1. Decianus lib.4. cap.27. n.6. Ambrosinus de immunit. cap.14. num.1. Natta conf.98. num.4. Menochius conf.112. num.65. vol.2. Surdus conf.465. n.4. Gratianus discept. for. cap.174. num.25. Sayrus de cens. lib.1. cap.6. n.31. Schrad. de feud. part.1. c.5. n.5. & alij penes ipsos.

2. Notandum est etiam quod hanc sententiam confirmant ipsi Reges, & ita Philippus II. in quadam Epistola apud dictum Portocarrero n.13. sic avertit. [A.D. Felipe Cervellon Virrey de Mallorca. Ya sabéis lo mucho, que Dios es servido y nuestra santa fee Catholica enalçada por el santo Oficio de la Inquisicion, y así es nuestra voluntad, que à sus Oficiales y Ministros de la santa Inquisicion desse Reyno deis siempre y hagais dar todo el favor que fuere menester para que libremente y sin impedimento alguno puedan usar, de sus cargos y officios y de las libertades, gracias, preeminencias, exempciones, inmunidades a ellos, así pot derecho, como por costumbre pertenecientes, &c.] Dada en Valladolid, à 10. dias del mes de Marzo 1542. & Philippus III. in quadam Epistola directâ ad omnes Præfatos anno 1603. sic ait. [Os eneargo mucho, que assi a los venerables Inquisidores, como à todos los otros oficiales, familiares, y Ministros del dicho santo Oficio los honreis, y favoreceis dandoles de nuestra parte todo el favor y ayuda que se os pidiere y fuere necesario, guardandoles, y haziendoles guardar todos los Privilegios, exempciones, y libertades, que les estan concedidos por derecho, concordia, cedulas Reales, como de uso y costumbre, y en otra qualquier manera, &c.] Quæquidem verba ultima, videlicet, y en otra qualquier manera, comprehendunt quidquid usu receptum fuerit, licet vim consuetudinis nondum assumpsit. Ita Portocarrero ubi supra, n.29. & 43. qui in num.20. explanat supradicta verba. [Que aunque en terminos de derecho comun no esta especificado, quatenus pateat, ni en que casos, ni cosas esta exempcion de los ministros de la Inquisicion, ni que diferencia haya entre ellos. Però por concordias, cedulas Reales y por costumbre esta determinado, y así unas palabras añaden à otras,] & num.24. observat supradictos Reges per dicta verba approbasse & confirmasse omnes consuetudines S. Officii, quorum approbationem & confirmationem ex multis Doctoribus habere vim legis demonstrat. Igitur possunt DD. Inquisitores exercere omnia, quæ sibi competunt de jure communi, vel ex consuetudine, vel quidquid usu receptum fuerit. Vnde ex his apparet quod si aliqui huic sententiæ contradicunt, non solum contra rationem, sed etiam

Et Potestate Inquisitorum. Ref. V. &c. 421

etiam aduersus voluntatem Regis insurgunt, ut patet ex dictis. Domini enim Inquisitores nunquam se extendunt ad aliquid faciendum, nisi id sibi competat de iure, seu de consuetudine, vel saltem exemplis non constet, hoc aliàs factum fuisse, quod comprehenditur, & conceditur à Regibus in illis verbis, [y en otra qualquier manera,] & in illis, [alli por derecho como por costumbre,] quæ omnia si aliqui scirent & considerarent non quidem contra DD. Inquisitores obmurmurarent, dicentes illos multa exercere, quod de iure facere non possunt, nam multa etiam licite faciunt, stante usu, & consuetudine, & ita hanc sententiam post hæc scripta tenet etiam Sousa in *aphorism. Inquisit. lib. 4. cap. 3. num. 5.* ubi ex quadam Bulla Pauli III. docet quod conceditur Inquisitoribus ut consuetudinem & aliis quibus quomodolibet utuntur.

RESOL. V.

An Inquisitores sub sint Legatis Summi Pontificis? Ex p. 4. tract. 8. Ref. 27.

§. 1. **A**D hoc dubium ita responder Antonius Sanctarellus de *hæresi cap. 40. dub. 5. n. 3. 1.* ubi sic asserit: Nota olim Legatum Sum. Pontificis habuisse jurisdictionem in Inquisitores, ut patet ex constit. Urbani IV. quam refert Locutus in *judiciali Inquisitorum, ver. Legatus, n. 2.* hodie verò sine speciali facultate Pontificis, vel supremæ Inquisitionis Rom. in rebus pertinentibus ad Officium S. Inquisitionis non solent Legati Pontificis se ingerere. Ita Sanctarellus.

RESOL. VI.

An Inquisitor Generalis possit ad libitum removere alios Inquisitores ab officio, vel de loco ad locum transferre? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 34.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam videtur docere Ludou. Molina de *just. tom. 5. tract. 5. disp. 28. n. 7.* Verum ego contrarium sentio, ex rationibus quas adducit Ferdinandus de Castro in *op. mor. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 12. §. 2. n. 20.* nisi interveniat aliqua iusta causa, quæ in ordine ad illos absolvendum erit ab officio. Prima, si non habent debitas condiciones. Secunda si superveniente infirmitate inhabiles ad officium exercendum, prout opus est, efficiuntur. Tertia, si in exercendo officio dolose delinquerent. Causa verò iusta ad Inquisitores de loco ad locum transferendi erit. Prima quando Inquisitor est multum ad negotia aptus, & locus in quo manet, non requirit personam ita solertem, sicut indiget locus alter. Secunda, quando contra eum suscitata sint rixæ, & odia capitalia, quia processerunt contra nobiles, & insignes personas, unde trepidandum est de scandalo. Tertia quando non bene se habet cum Principibus, in quibus tamen duobus casibus posterioribus, si hæc contra Inquisitorem sint suscitata ob injusta causam, erit de meliori inquisitione providendum ne puniatur ubi non meretur. Et hæc omnia docet Michaël Zanardus in *direct. Theol. par. 2. c. 6. q. 9. & 19.* Vide etiam circa præsentem quæstionem Zecchium in *summ. tom. 1. tit. de fide cap. 11. n. 13.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 18. q. 9. & Pegnam in direct. Inquis. p. 3. q. 10. comm. 59.*

RESOL. VII.

An Inquisitores debeant esse magis Theologi, quam iurisperiti? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 52. Tom. V.

§. 1. **T**heologos esse debere docet Michaël Zanardus in *direct. Theol. par. 2. cap. 6. quæst. 12.* quia, ait, ipse, ad eos spectat de propositionibus ac factis hæreticis iudicare; processum vero formare, testes examinare, & de causa iudicare simul cum petito Notario fiscali & suis Consultoribus. possunt explere Ita idem, & ante illum Pegna in *direct. Inquis. par. 3. comment. 50.*

2. Verum mihi contraria sententia magis placet, quia Inquisitores in causis fidei plura ut Iurisperiti, quàm ut Theologi efficere debent, ut per experientiam patet, ergo, &c. Vnde Iacobus Simanca in *instit. Cathol. tit. 41. num. 3.* testatur experientia jam olim in Hispania fuisse comperitum, longè utilius & commodius esse ut Inquisitores eligantur Iurisperiti, quàm Theologi, quidquid Theologaster ille deliret Ocham. Ita Simanca & post illum Sigismundus Secacia de *judiciis, lib. 1. cap. 87. num. 10.* ubi ex multis rationibus probat, Inquisitores magis Iurisperitos, quàm Theologos eligendos esse.

RESOL. VIII.

An Inquisitores eligendi debeant habere ætatem quadraginta annorum?

Et quid est dicendum de Inquisitoribus Hispania, an sufficiat, ut attingant annum trigessimum?

Et notatur Commissarios Inquisitorum sufficere annum trigessimum attingere? Ex p. 4. tract. 8. Ref. 54.

§. 1. **A**ffirmativè respondendum est stando in iure communi, nam ita decernitur in *Clem. nolentes de hæret. Vnde si eligerentur in alia minori ætate, electio esset nulla, ut observat glossa in d. Clem. ver. committi, & ibi Anchatanus n. 2. & Zabarella n. 3. & ita hanc sententiam tenet Moscosus de *majest. milit. Eccl. lib. 1. part. 1. cap. 11.* Homobonus de Bonis in *tract. de statibus, p. 1. c. 8. & alij communiter.**

2. Verum his non obstantibus, ut optimè observat Antonius Sanctarellus *tract. de hæresi, cap. 40. dub. 1. n. 6. & Zanardus in direct. Theol. par. 1. cap. 6. q. 12.* cum hoc tempore Inquisitores creantur ab Eminentiſſimis Cardinalibus Sanctæ Inquisitionis Romanæ, non videtur valde curandum, an quadragessimum ætatis annum atigerint, quia eliguntur de scientia Sum. Pontif. à quo si in quacunque ætate eligantur Inquisitores, valet eorum electio, etiam ignorante Pontifice ætatem, ut observat Farin. de *hæresi q. 86. n. 51.* Sed quid dicendum de Inquisitoribus Hispaniæ. Dico igitur quod Inquisitores qui creantur à Generali Inquisitore Hispaniarum ex privilegio Summi Pontificis, sufficit ut attingant annum trigessimum, ut observat Zanardus *ubi sup. & ante illum docuerat Iacob. Simanca in cathol. instit. tit. 34. n. 12. Rojas singul. 106. n. 7. & alij.*

3. Notandum est tamen hic obiter commissarios Inquisitorum sufficere annum trigessimum attingere, & ita docet Molina *tom. 5. tract. 5. disp. 28. n. 23.* Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 18. q. 4.* Pegna in *direct. Inquis. par. 3. comm. 61. & 65.* quidquid in contrarium asserat glossa, & Io. Andreas in *d. Clem. 2. de hæret.*

RESOL. IX.

An Inquisitores possint procedere contra Papam in hæresi deprehensum?

Vel an hæc cognitio spectet ad Generale Concilium? Ex p. 4. tract. 8. Ref. 58.

§. 1. **H**oc dubium movet Michaël Zanardus in *direct. Theol. p. 2. cap. 6. q. 20. & ad illud negativè*